

52653/9

# D. CHRIST. ADOLPHUS WENDLER

MED. POL. FOR. PROF. PUBL. ORD.

E T

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I U S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N

A U D I T O R I O I U R I D I C O

D I E X I . M . M A R T I I A . M D C C C X L V

C E L E B R A N D A M

I N D I C I T .

---

*Quaest. Med. For. Part. II.*

*De ambigua corporis delicti notione.*

Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30364140>

Etsi quod ante aliquot menses prolusionis academicae causa tractaveram gravissimum illud argumentum de medicinae forensis studii necessitate eo minus absolutum atque exhaustum esse iudicaverim, quo magis hanc ipsam materiam et amplitudine et difficultate pollere inter omnes constat, tamen quae de ea dicenda restant alia opportunitate academica oblata propediem expositurus hodie ad specialiora pariter accuratiore explicatione digna transire apud me constitui. Facile etenim observandum est, in ipsa medicina forensi, cuius summum officium in eo possum esse omnes bene sciunt, quod causas dubias artis salutaris auxilio Ictis solvat atque illustret, varia adhuc inveniri argumenta dubia et clariore sane luce admodum carentia. Quae quidem si de materiis solummodo valerent ex gravi illo et amplio scientiae naturalis campo petitis, cuius singulari studio ars nostra utique augenda est atque amplificanda, vix mira nobis videri potuerint, cum multas huius ipsius doctrinae partes vastis etiamnum nebulis obtectas esse indefessa perscrutatorum assiduitate paulatim dissipandis, neminem nostrorum fugiet. Sed prae ceteris dolendum est, medicinam omnino publicam notionibus repletam esse incertis ac vacillantibus, quibus alii alium sensum subiicere consueverunt, quarumque significationibus mox dilatatis mox restrictis exoptatissima illa doctrinae perspicuitas tandem afferri poterit.

Ut alia taceam, luculentissimum huius rei exemplum in gravi illa corporis delicti notione afferam, quae, quanta sit, a multis non satis intelligi videtur. Singulos enim et iuris criminalis et medicinae foren-

sis scriptores de eius finibus inter se discrepantes legimus, quo factum est, ut quae in omni diiudicatione criminali ad causas aperte dubias prae ceteris pertinere videatur corporis delicti explicatio atque constitutio, ipsa notionis ambiguitate magis dubia ac incerta, totiusque rei enucleatio inde complicatior evaderet.

Vocabuli corporis delicti originem investigare conati hanc vocem, teste FEUERBACHIO<sup>1)</sup> ab Ictis medii aevi formatam esse docemur, qui, ubi in inquirendo homicidio cadaver imperfecti inventum erat, de corpore delicti prima vice sermonem fecerant. Cum vero iamiam ex iuris germanici principiis cadaveris detectio ad constituendum crimen homicidii maximam omnino vim haberet, deficiente corpore defuncti corpus delicti utcunque deesse pronunciabant. Sensim haec ipsa denominatio etiam ad alia crimina translata est, qua nimurum obiecta certa reperta esse significare voluerunt ad delictum quoddam legibus poenibus rite subiiciendum necessaria, ita, ut de corpore delicti, e. c. furti, adulterii, etc. eruendo probandoque frequentissime dictum esset. Tandem vero apparebat, hanc ipsam rem maximi momenti esse et in iure criminali in universum, ubi delicta poenis ordinariis obnoxia constituuntur, et in processu criminali in specie, ubi inquisitionis quaeritur fundamentum certum et ab omni temeritatis suspicione plane liberum. Igitur scriptores varii de distinctae corporis delicti definitionis necessitate persuasi singulas notionis partes componere diverso modo studiunt, ita tamen, ut germanici vocabuli *Thatbestand* significatione corporis delicti sensum bene exprimi posse omnes fere consentirent, excepto MARTINO<sup>2)</sup>, qui terminum technicum latinum ex etymologia arctiorem esse contendit, quam vernaculum illud: *Thatbestand*, cui

1) Lehrbuch des peinl. Rechts, herausgegeben v. MITTERMAIER, Giessen 1840. §. 81 und folgende.

2) Lehrbuch. §. 28, Note 7.

autem eo minus assentiendum esse arbitror, quo magis generatim sub notione corporis complexum rei cuiusdam diversis partibus compositae intelligere solemus. Quare cum iam veteres C. C. C. Art. 6 interpretaturi in exhibenda corporis delicti definitione solummodo signa obiectiva respicerent, MEISTER<sup>3)</sup> eodem fere sensu sententiam suam proferebat his verbis: „corpus delicti denotat existentiam seu veritatem delicti alicuius commissi, et quidem speciatim delicti obiective spectati, i. e. ipsius laesioris in se spectatae citra respectum ad determinatam personam auctoris eius.“ Veritatem autem ad hanc definitionem proprie non pertinere, subiectiva contra indicia in constituendo corpore delicti nunquam omittenda esse cum aliis<sup>4)</sup> contendō. Nam assumere licet omni delicto sive culpam sive dolum subesse, nec praeterea de perpetrato aliquo crimine unquam sermo esse poterit, nisi respicere velimus, an id ipsum auctoris personae profecto possit imputari, ita, ut e. g. maniacum crimen homicidii commisisse nunquam dici potuerit, etiamsi hominem ab eo interfectum esse satis superque constet. Tandem neglectus ille ad determinatam personam auctoris respectus, cui etiam BIENER<sup>5)</sup> accedit, definitionem ipsam angustiorem reddere, et speciali criminis notio revera contradicere videtur. Etenim indicia subiectiva et qualitates certas personales ad naturam et complexum delictorum specialiorum ita pertinere, ut illis deficientibus crima talia existere et cogitari nullo modo queant, nemo sine dubio infitias ibit. Nullum v. c. crimen parricidii sine probata illa auctoris cum imperfecto cognatione.

Alia est contra sententia, quam STUEBEL<sup>6)</sup> in libro suo de hac peculiari promulgavit, corpus delicti summam omnium eorum factorum appellandum esse ratus, quae ex legibus poena criminali mulctanda

3) Principia iur. crim. cap. II. §. 94.

4) TITTMANN, WAECHTER et pl.

5) Delibata quaedam de corpore delicti capita. Lips. 1801.

6) Ueber den Thatbestand der Verbrechen. Wittenberg 1805.

sunt, ne minimo vero imputationis respectu habito. De hac ipsa restrictiore sane interpretatione quid iudicandum sit, iam supra monui, eamque a KLEIN et KLEINSCHROD<sup>7)</sup> non acceptam esse laetor. Plura vero ac multo magis ad rem nostram constituendam et illustrandam idonea inter noviores contulisse mihi videntur ABEGG<sup>8)</sup> et MAREZOLL<sup>9)</sup>, qui corporis delicti notionem in complexu omnium legalium criminis cuiusdam indiciorum quaerentes diversitatem eius vel in genere, vel in specie, vel essentialem vel non essentialem, et pro rei ratione vel obiectivam vel subiectivam agnoverunt, ideoque huic notioi maiorem quo eget ambitum vindicaverunt. Tali etenim sensu plura ex aliorum voluntate ab hac definitione plane removenda, uti criminis locus, instrumenta, violentiae vestigia huc et illuc conspicua etc. corpori delicti merito adnumerantur.

Ut autem nunc ad inclytum medicinae forensis scriptorem transire liceat, mirandum est sane, E. PLATNERUM, virum olim ingeniosissimum, de cuius in hac doctrina auctoritate nemo fere dubitabat, hocce argumentum angustissimis finibus circumscripsisse, quod iam ex Quaestioneis 22 titulo<sup>10)</sup> luculenter appareat, qui arctam omnino corporis delicti notionem proponit. Secundum PLATNERI enim sententiam ultra corpus delicti pronuntiare nihil aliud significat, quam ultra id „quod in cadavera comprehensum fuerit“ aut „ultra res a dissecatore visas et repertas.“ Si porro alio in loco huius ipsius Quaestioneis dicit: „collegia medicorum debent profecto non ea tantummodo illatae necis vestigia persequi, quae in ipso corpore delicti apparent, sed, ubi hoc ad pronuntiandum non satis materiae habet, caetera quoque indagare et proferre, quae vel in rei, vel in testium verbis, tum in locorum atque temporum ratio-

7) *Archiv des Crim. Rechts*, B. 3. St. 1. pag. 38 u. flgd.

8) *Lehrbuch d. Strafrechts-Wissenschaft*. Neustadt a. d. O. 1836.

9) *Das gemeine deutsche Crimin.-Recht*. Leipz. 1841.

10) An collegiis medicorum non liceat ultra corpus delicti pronuntiare? 1803.

8

nibus posita deprehenduntur,“ ac serius : „, Cur duplex nonnunquam  
quaestio nobis proponitur, altera ex corpore delicti, altera ex caeteris  
argumentis diiudicanda?“ si in hac ipsa prolusione ubique cogitata  
nobis obvia vniuent aequalem explicandi rationem offerentia, vocabulum  
corpus delicti et vetustate absumto et restrictiori sensu a se usurpatum  
esse auctor ipse confitetur, nempe pro iis solum indiciis, quae ex  
legali cadaveris obductione cognoscuntur, ita, ut partim haec notio  
non nisi in crimen homicidii adhibenda sit, partim aliquod tantum to-  
tius inquisitionis criminalis momentum explere videatur. Istam autem  
aeque imperfectam ac obsoletam significationem tempore Platneri  
multis placuisse profecto miror, nec ICTORUM nec medicorum interim  
aliquem superstitem esse spero, qui tam mancam explicationem  
etiamnum nobis satisfacere posse credat. Superflua itaque ac fere  
inanis evadat necesse est omnis auctoris illius de hac quaestione dispu-  
tatio: an collegiis medicorum non liceat ultra corpus delicti pronun-  
tiare? quae PLATNERO omnimodo ideo erat affirmanda; quod eo medi-  
corum collegiis latior aperiretur diiudicationis campus, quam ista  
corporis delicti notio hucusque iis concesserat, nobis autem strenue  
neganda est, ne medicorum collegia, dum ultra corpus delicti pronun-  
tiare ausa essent, officiorum fines per libera arbitria transiisse videantur.  
Scilicet nullis, qui vel propria et forensi significatione revera iudices  
sunt, vel saltem quodam iudicum munere funguntur, ultra ea diiudi-  
care unquam licebit, quae per inquisitionem criminalem, i. e. obiecti  
explorationem, rei confessionem, testium examina, temporis, loci  
et instrumentorum respectum e. s. pl. tanquam certa criminis commissi  
indicia cognita erant atque probata. Quod si iudices his singulis mo-  
mentis bene componendis, subtiliter illustrandis, et acute inter se  
comparandis constanter incubuerint, in cruento corpore delicti nihil  
ab iis neglectum esse iure praedicari poterit.

Scripta haec sunt, ut iis more academico producerentur atque commendarentur septem candidati, quorum primus d. XIII. April., secundus d. II. Iul., tertius d. XVII. Sept., quartus d. XX. Sept., quintus d. XXVI. Septbr., sextus d. XX. Dec. anni praeteriti summos in arte medica honores obtinuit, septimus vero iisdem ornabitur proxime. Quae de vita hucusque acta praesertim academica mecum illi communicaerunt haec sunt:

## I.

## CAROLUS EMILIU S GEHE.

*Natus sum Dresdae d. m. Iun. VIII. a. h. s. XVIII, patre CAROLO HERMANNO, mercatore, et matre WILHELMINA, e gente WEINHOLDIANA, quorum vitam carissimam Deus O. M. usque ad extremos vitae limites servare velit.*

*Primis religionis christianaee literarumque elementis privatim acceptis, anno XV gymnasium St. Crucis adii, ibique per sexennium institutione paeceptorum doctissimorum egregia usus sum. Sic a. h. s. XXXIX m. Mai. ab Exc. WEBERO, t. t. Rectore Magn., in Album universitatis, ad medicae artis studium relatus, audvi Exc. SCHWAEGRICHENUM de zoologia et botanice, Exc. FECHNERUM de physice, Exc. WEBERUM de anatomia et physiologia, b. HEINROTHUM de anthropologia, Exc. KUEHNUM de chemia, Exc. BRAUNIUM de materia medica, Exc. CERUTTIUM de pathologia et therapia, Exc. GUENTHERUM de chirurgia, Exp. CARUM in arte fascias alligandi, Exp. RITTERICHUM de oculorum morbis, Exc. WENDLERUM de medicina forensi, Ill. IOERGIUM de arte obstetricia. Ad practicam institutionem transgressus, frequentavi scholam clinicam regiam sub auspiciis Ill. CLARI et Exc. GUENTHERI, institutum obstetricium duce Ill. IOERGIO et institutum policlinicum praesidibus Exc. CFRUTTIO et Exc. BRAUNIO. Quibus omnibus viris optime de meritis gratias persolvo quam maiimas.*

*Examen pro Baccalaureatu d. XXIV. m. Iulii h. s. XLI, obstetricium d. m. Sept. h. s. XLIII. et rigorosum d. VI. m. Martii anni currentis superavi.*

*Cum in priori tertiam, in altero autem secundam censuram accepisset, defensa dissertatione: „De morbillis“ Medicinae e Chirurgiae Doctor creatus est.*

## II.

## EDUARDUS WENGLER.

*Natus sum die vicesimo tertio mensis Septembris anno huius saeculi undevicesimo, patre IOANNE DAVIDE, verbi divini tunc temporis apud Grosserkmannsdorfenses magistro, et matre CAROLA SABINA DOROTHEA e gente AB AMMON, quibus parentibus dilectissimis liberorum saluti incredibili amore intentis, pro innumeris erga me beneficiis gratias ago enixissimas, quosque ut Deus O. M. diutissime incolumes servare, iisque placidam senectutem aerumnisque vacuam parare velit, ferventissimis precibus oro et obsecro.*

*Prima qua aetas puerilis imbui solet disciplina paterna instructus, anno aetatis decimo tertio et dimidio gymnasio Dresdensi ad aedem St. Crucis adscriptus, ibi per quinque annos et dimidium institutione praceptorum dignissimorum usus sum.*

*Anno h. s. tricesimo octavo mense Septembris academiam adii medicino-chirurgicam Dresensem, ibique in primordiis de arte salutari institui coepi. Viri celeberrimi, quales B. SEILERUS, REICHENBACHIUS, PECHIUS, RICHTERUS aliique, quantum de me meruerint, in dies magis agnosco, maximas vero debeo gratias GUENTHERO, prosectori t. t. eruditissimo. Interiecto anni et dimidii spatio paschali tempore a. h. s. quadragesimo Lipsiam me contuli, et inter cives receptus sum academicos Rectore Magnifico t. t. Ill. CLARO. Disserentes audivi: de botanice Exc. SCHWAEGRICHENIUM et Exp. KUNZIUM, de mineralogia Exc. SCHWAEGRICHENIUM, de zoologia Exp. POEPPIGIUM, de physice Ampl. BRANDESIUM et Exp. LEHMANNUM. Chemiam et theoreticam et practicam debeo Exc. KUEHNIO et Exc. LEHMANNO, anatomiam et physiologiam et embryologiam me docuerunt et R. M. WEBERUS et Exp. WEBERUS, anatomiam comparatam Exp. ASSMANNUS, anthropologiam Beat. HEINROTHUS. In materia medica praceptorem habui Exc. BRAUNIUM, in pathologia generali Exp. HASPERUM, in speciali Exc. CERUTTIUM, in chirurgia Exc. GUENTHERUM, in arte obstetricia Ill. IOERGIUM et Exp. GREN SERUM. Praeterea Exc. WENDLERUM de medicina forensi, Beat. HEINROTHUM de psychiatria, Exp. HASSIUM de anatomia pathologica disserentes audivi.*

*Ita ad studia practica praeparatus, institutum clinicum St. Iacobi ducibus Ill. CLARO, Exc. WENDLERO et GUENTHERO adii, instituta vero policlinica Exc. CERUTTIO et BRAUNIO, chirurgicum denique Exc. WAL Thero et Exp. CARO ducibus, nec non scholam obstetriciam regiam, quae sub Ill. IOERGII auspiciis floret, frequentavi.*

*Inter hos viros sunt quatuor, qui maximis erga me benevolentiae exhibitae speciminibus valuere: Exc. CERUTTIUS et BRAUNIUS et GUENTHERUS et Exp. GREN SERUS, quibus viris quantum debeam, nunquam obliviscar.*

*Examen pro Baccalaureatu die vicesimo sexto m. Ianuarii a. h. s. quadragesimo secundo, obstetricium die undevicesimo m. Decembris a. praeterlapsi, et rigorosum quod vocatur die quinto m. Iunii a. currentis superavi.*

Retulit ex priori examine tertiam, ex pratico vero secundam censuram, et cum dissertatio sub titulo: „*Lithotomiam interiectis pluribus posse perfici intervallis probatur exemplis*“ rite ab eo esset defensa pariter Doctor creatus est.

### III.

## LUDOVICUS AUGUSTUS BLANKMEISTER.

*Natus sum Langenbaci in Variscia Saxonum D. M. Augusti XVIII, anno hui. saec. XX. patre LUDOVICO GUILIELMO, eiusdem loci verbi divini ministro, matre SOPHIA, e gente CHRISTIANA, quos parentes carissimos Deus O. M. ut diu incolumes conservet, ex intimo animo precor. Iam VII. aetatis anno ex avorum voluntate Martisburgam deductus, et institutione NEUBERTI, deinde beati MITZSCHKII ad gymnasii studia praeparatus, hoc ipsum adii anno h. s. XXXI. Sed avia carissima defuncta in patria arva reversus, et anno XXXVII. in numerum alumnorum Ruthenei Schleizensis receptus, ibi atrum illum vidi diem, qui in cineres urbem deplorandam commutavit. Ita tamen quasi orbatum tertium Plaviense exceptit gymnasium, cuius praceptores quantopere de me meriti sint, gratissimo semper animo recordabor. Minime vero horum virorum egregiam liberalitatem et benevolentiam, qui amicissimo ibi hospilio me exceperunt, ac filii iuribus ornarunt, apto, quo decet, sermone describere valeo.*

*Anno XL. inter cives huius Literarum academie, medicinae operam daturus, a Rectore t. temp. magnifico, Ill. CLARO relatus sum, ibique audivi magistros de Zoologia, Botanice, Mineralogia Rev. SCHWAEGRICHENIUM, KUNZIUM et POEPIGIUM, de Physice Beat. BRANDESIUM, de Anatomia et Physiologia Celeb. WEBEROS fratres, de Encyclopaedia et Methodologia Dilect. KNESCHKIUUM, de Chémia et theoretica et practica Exc. KUEHNIUM, de Anthropologia Beat. HEINROTHIUM, de Philosophicis Exc. DROBISCHIUM et HARTENSTEINIUM, de Anatomia comparata Exc. ASSMANNUM, de Aeschylo Ven. HERMANNUM, de Historia Romana Exc. WACHSMUTHIUM. Artem obstetriciam mihi tradidit Ill. JOERG, Materiam medicam Exc. BRAUNE, Pathologiam generalem Exc. RADIUS, Therapiam generalem Exc. NEUBERT, Pathologiam et Therapiam specialem Exp. CERUTTI, Chirurgiam Exc. GUENTHER et CARUS, Mulierum morbos Exc. GRENSER, Anatomiam pathologicam*

*Exc. HASSE, Medicinam forensem Exp. WENDLER, ophthalmologiam Exp. RITTERICH, Pathologiam Exp. LEHMANN. Institutum regium clinicum rite frequentavi ducibus Ill. CLARO, WENDLERO et GUENTHERO, policlinicum moderatoribus Exp. CERUTTIO et BRAUNIO; scholam obstetriciam magistro Ill. IOERGIO, institutum ophthalmiatricum directore Exp. RITTERICHO adii. Horum omnium magistrorum innumera de me merita non desinam maximifacere, eorumque memoriam grato semper et pio animo recolere.*

*Examen theoreticum D. m. April. IX., anni h. s. XLII., obstetricium D. m. Ian. XV. anni XLIV., practicum D. m. Augusti X. eiusdem anni absolvit.*

In quibus examinibus candidatum prima censura ornatum esse laetamus. Denique post defensam dissertationem sub titulo: „*De Paracentheseos thoracis effectu experientia monstrato*“ Doctoratus honores obtinuit.

#### IV.

### GOTTLOB BERNARDUS DRESCHKE.

*Natus sum Rabenaviae, die II. mens. Maii, anno h. s. vicesimo, patre CHRISTIANO GOTTLLOB, saltuariorum regis principe, quem praematura morte mihi ereptum ad ultimum vitae halitum lugebo, et matre CHRISTIANA SOPHIA, e gente GERLACHIANA, quam superstitem, ut Deus O. M. per multos adhuc annos incolumem mihi servare velit, enixissimis precibus oro. Prima eruditio- nis elementa debeo viro maxime venerabili FIEDLER, sororis marito, pastori Niederbobritzschiensium, cui optime de me merito nunc, data occasione, publice gratias ago quam maximas.*

*Postea quum altioribus studiis operam dare constituisse, adii scholam crucianam Dresdae florentem. Examine ibi maturitatis mens. Sept. anni s. MDCCCXXXIX. feliciter superato, quum iam diu tempus viresque medicinae studio navare mihi propositum esset, civium Academiae Chirurgico-medicae numero sum adscriptus. Ibi maxime anatomiae, beato SEILERO et excell. GUEN- THERO ducibus, botanicae, zoologiae et mineralogiae, ill. REICHENBACHIO praceptor, operam dedi; praeterea autem in arte mathematica et logica excell. LOEWIUM, in physica excell. FICINUM, in pathologia et therapia generali excell. RICHTERUM, in chirurgia excell. PECHIUM, in arte fascias alligandi exper. HERBERGIUM habui praceptores.*

*Die XVI. mens. Maii, anni MDCCCXXXI. in album universitatis Lipsiensis ab excell. DROBISCHIO, tunc temporis Rectore Magnifico relatus sum.*

*Disserentes hic audivi de philosophia excell. HARTENSTEINUM, de botanica excell. KUNZIUM, de zoologia excell. POEPIGIUM, de mineralogia exp. WEINLIGIUM, de arte physica b. BRANDES iuniorem, de chemia excell. KUEHNIMUM, de anatomia et physiologia excell. WEBEROS fratres, de anatomia comparata exp. ASSMANNUM, de anthropologia et psychologia beat. HEINROTHIUM, de pathologia generali excell. RADIUM. Deinde ad practicae medicinae studia conversus, excell. BRAUNIUM et excell. CERUTTIUM, excell. GUENTHERUM et excell. CARUM in illis habui praceptorum; artem obstetriciam ab ill. IOERGIO, morborum muliebrium curam ab excell. GRENZERO, ophthalmiatricam ab excell. RITTERICHIO, medicinam forensem ab excell. WENDLERO, anatomiam pathologicam et artem auscultatoriam ab excell. HASSIO edoctus sum. Scholas clinicas et policlinicas, ill. CLARO et excell. WENDLERO, excell. GUENTHERO et excell. RADIO, excell. BRAUNIO et excell. CERUTTIO, nec non ill. IOERGIO et excell. RITTERICHIO ducibus frequentavi. Quibus praceptoribus omnibus propter insignem erga me benevolentiam et humanitatem gratias ago et in aeternum persolvam maximas.*

*Examen pro baccalaureatu die XIII. mens. Augusti, anni huius saeculi XLII, obstetricium die huius anni XI. mens. Aprilis, rigorosum die XXIX. mens. Iunii superavi.*

Ornatus in utrisque tentaminibus censura prima, postquam dissertationem: „*De invaginatione Gerdyana*“ optime defenderat, Medicinae Doctor dublice pronunciatus est.

## V.

### FRIDERICUS AUGUSTUS FERDINANDUS HERBERG.

*Natus sum Weifae, pago Misnico prope Budissam sito, a. h. sec. VII, d. VII. m. Mai., patre JOANNE GOTTLÖB, chirurgo; matre CHRISTIANA, e gente PETZOLD, quos Deus O. M. diu mihi conservet incolumes.*

*Prima literarum elementa domi accepi, inde ab a. XXII. h. sec., beato SIEBELIS, rectore dilectissimo, mihi maxime favente, gymnasii, quod Budissae floret, civibus adscriptus sum. Annis VI praeterlapsis post, examine, quod examen maturitatis vocatur, superato, gymnasio eiusque praceptoribus, qui omnes, praecepit b. SIEBELIS et Ill. FRITZSCHE, tunc corrector, de me optime meruerunt et quibus semper animum gratissimum servabo, valedixi, Dresdam abii atque m. Sept. a. XXIII. h. s.; directore b. SEILER, inter cives academie medico-chirurgicae Dresdensis sum receptus. — Ibi praceptorum mihi fuerunt Exp. LOEWE in logice et mathematicae, Exc. FICINUS in physice et chemia, Ill. REI-*

*CHENBACH* in mineralogia, botanice et zoologia, b. *SEILER* in anatomia et physiologia, *NOB. DE AMMON* in pathologia et therapia generali et materia medica, *Ill. CHOULANT* in pathologia et therapia speciali, *Exc. PECH* in chirurgia, *Ill. SAHLFELDER* in medicina bellica, *Exp. HAASE* in gynaecologia; — instituta practica adii ducibus *CHOULANT*, *PECH*, *DE AMMON*, *HAASE*, atque institutum anatomicum duce *FRAENZEL*, prosector. — Omnibus his viris, quorum permagnae humanitatis erga me memoriam nunquam abiiciam, gratias ago quam maximas.

Anno I., quem in academia frequentanda peragebam, praeterlapso, exanimi pro stipendio militari assequendo me subieci; eodem anno examen pro munere chirurgi gradus inferioris militaris feliciter superavi atque a. **XXXI.** h. s. locus chirurgi eiusdem ordinis mihi traditus est. Tribuno militum b. *DE EGIDY*, quem morte erectum lugeo, atque ducibus medicis legionis b. *LEHMANN*, b. *SCHMIDT*, *Exp. SCHREIBER*, qui mihi admodum favebant, Budissae stipendia merui. A. **XXXIV.** h. s. denuo in academia medico-chirurg. Dresdensi versatus tentamen ad suscipienda munera chirurgi superioris ordinis in academia superavi. Quo facto a. **XXXVI.** h. s., postquam usque ad hunc annum denuo in I. legione pedestri saxonum stipendia merueram, ad academiam vocatus sum. — Nunc contigit mihi esse tam felici, ut inde a mense Aug. a. **XXXIX.** usque ad mensem Mai. a. **XL.** h. s. adiutor *Ill. RICHTERI*, directoris instituti policlinici; a mense Mai. a. **XL.** usque ad mens. Februar. a. **XLI.** adiutor *Excell. PECHII*, directoris instituti clinici chirurgici académiae medico-chirurg. Dresd. fierem, quorum virorum eximia benevolentia semper ornatus sum. His viris usque ad ultimum diem animum gratissimum servabo.

A mense Febr. autem a. **XLI.** minus prosectoris eiusdem académiae a. b. *SEILER*, qui benevolentiam et humanitatem maximam in me accumulabat, atque me discipulum gratissimum esse reddebat, mihi demandatum est, quo munere ad hoc tempus fungor. Mense Decembre eiusdem a., examine ad gradus et honores medici militaris superioris capessendos superato, rex potentiss. et clementissimus Saxoniae dignitate medici cohortis, rogantibus *Exp. SAHLFELDER*, directore rerum medicinalium militarium, et *Illustr. nobili DE NOSTITZ-WALLWITZ*, amico regis atque directore collegii a consiliis rerum bellicarum, me ornavit.

A. **XLII.** h. s. b. *SEILER*, quum aegrotaret, minus anatomiam et physiologiam docendi mihi delegavit, quod minus, fiducia *SEILERI* decoratus, lubentissime, quamquam anxiò animo, quum ipse tanquam novus homo in rebus anatomicis specialioribus essem, subii.

Examen pro baccalaureatu in nostra alma literarum universitate Lipsiensi, cuius professoribus pro benignitate et humanitate erga me exhibita insigni gratias maximas ago semperque agam, d. X. m. Iulii a. c. atque rigorosum d. XII. mens. Sept. eiusd. a. superavi.

Cum ex tentamine theoretico secundam censuram reportaverat, ex practico autem eandem cum laude, ornavimus eum defensa contra adversarios: „*De erectione penis*“ dissertatione summis in arte nostra honoribus.

## VI.

## G E O R G H O R S T H E U N.

*Natus sum Teuditzii, pago prope ad Lutzenum sito, die XVI. mens. Octobr. a. h. s. XVIII. patre IOANNE GEORGIO et matre CAROLINA AUGUSTA e gente FISCHERIANA, quos parentes carissimos ut Deus sospites diu servet et incolumes pie precor. Primis literis privata institutione partim ludi magistri partim candidati theologiae imbutus ineunte anno MDCCCXXX a. b. WERNSDORFIO, Rectore scholae cathedrali Numburgensi, adscriptus per quinque annos disciplina usus sum FOERTSCHII, WERNSDORFII successoris, MUELLERI utriusque, SCHMIDTII, LIBALDI et BUCHBINDERI aliorumque; tum rebus domesticis commotus scholam Numburgensem cum Martisburgensi mulavi, in quo gymnasio tres annos versatus institutus sum in literis a WIECK rectore, HAUN, HIECK, TENNER, b. LANDVOIGT aliisque. Qui viri omnes, quantum de me meriti sint, in dies magis agnosco. — Examine pro maturitate feliciter superato mens. April. anni h. s. XXXIX. Halae stipendia merui privatim medicinae elementis operam daturus. Anno stipendii militaris absoluto rebus familiaribus consilium medicinac operam dandi relinquere coactus sum. Dubius autem, quibus partibus vitae me darem interdum, occupatus eram per breve tempus in regio iudicio Lutzenensi munusculum quoddam inferius assecuturus. Cum vero patria mea, quae Lipsiae versatur, vidua b. HELFERI, mercatoris huius urbis amplissimi, pollicita esset, se me adiuturam esse, eo commotus sum, ut illud munus, quo in iudicio supra dicto fungabar, relinquere praefecto meo consentiente, et prius consilium arti medicae incumbendi renovarem. Illius dignissimae foeminae benignitate vehementer adiutus et praecipuo auxilio, quod mihi affinis meus carissimus ROUSSET, mercator h. u. aestumatissimus praebebat sublevatus studium meum in Universitate Lipsiensi usque ad hoc tempus tractare potui. Quam ob rem maximas gratias utrique cognato his literis publice ago, et Deum O. M. pie rogo, ut illis de me meritissimis vitam longam et beatam conservet.*

Sed reliquum est, ut brevibus disseram de meo studio academicо nunc peracto. In Album Universitatis literarum Lipsensis relatus sum Rectore Magnifico DROBISCHIO mens. Novembr. anni h. s. XL. Praeceptores habui in philosophia Exc. DROBISCHIUM, in mineralogia, zoologia et botanice Exc. SCHWAEGRICHENIUM, in physice Exp. MARBACHIUM, in chemia Exc. KUEHNIUM, ERDMANNUM et LEHMANNUM, in anthropologia et psychologia b. HEINROTHUM. In anatomia, tam

generali, quam speciali, in physiologia, embryologia et in arte cadavera secundi secutus sum Exc. WEBERUM seniorem et iuniorem, nec non Excell. BOCKIUM. Pathologiam generalem Exc. RADIUS et NEUBERT, therapiam generalem et materiam medicam Exc. BRAUNE, artem formulas medicas recte praescribendi Exc. KNESCHKE, pathologiam et therapiam specialem Exc. CERUTTI, chirurgiam Exc. GUENTHER et artem fascias alligandi Exc. CARUS mihi tradiderunt. Praeterea audivi de ophthalmiatria Exc. RITTERICHUM, de medicina forensi Exc. WENDLERUM, de arte obstetricia Ill. IOERGIUM, et Exp. CLARUM iun. de morbis pulmonum et cordis eundemque de arte morbos per acusticem cognoscendi.

Ita ad studia practica praeparatus institutum clinicum regium ducibus Ill. CLARO, Exc. WENDLERO et GUENTHERO, instituta policlinica: medicum Exc. CERUTTIO et BRAUNIO, chirurgicum Expp. CARO et WALThERO moderatoribus frequentavi; scholae obstetriciae clinicae Ill. IOERGII et demonstrationibus in nosodochio d. Georgii ab Exc. RADIO habitis interfui, nec minus defui in schola ophthalmiatrica duce Exc. RITTERICHO.

Quibus praceptoribus omnibus ob eximiam erga me benevolentiam et humanitatem, qua omni tempore me exceperunt, quomodo dignas persolvam gratias re vera nescio.

Examen pro Baccalaureatu dictum die XXX. mens. Aug. a. h. s. XLIII. subii, examen obstetricium die XXI. Iun. a. c. et rigorosum d. XVI. mens. Octbr. h. a. feliciter superavi.

In his examinibus censura secunda dignus iudicatus defendit die supra dicto Dissertationem sub titulo: „*De casu aliquo cordis dilatia*“ contra dissentientes, posteaque Medicinae et Chirurgiae Doctor publice creatus est.

## VII.

### ADOLPHUS THEODORUS WENDLER.

Natus sum Lipsiae d. X. m. Octobris a. h. s. XVII. patre CHRISTIANO ADOLPHO WENDLERO, medicinae doctore, medico huius urbis pratico, medicinae pol. forensis in universitate literarum professore ord. et matre JULIA HENRIETTA e gente ERNESTINA. Primis literis privatim imbutus, a. h. s. XXX. ab exc. NOBBIO, rectore scholae Nicolaitanae, discipulis adscriptus, per sex fere annos disciplina usus sum NOBII, FROTSCHERI, FORBIGERI, HEMPELII, KUECHLERI, FUNKHAENELII, KLEEI, b. DIETTRICHI, MARTINI, MICHAELIS. Examine pro matuitate superato d. XXIX. m. Aprilis a. h. s. XXXVII., medicinae operam daturus in civium universitatis literarum Lipsiensis numerum, rectore SCHILLINGIO, receplus sum. Hic DROBISCHII scholis philosophicis, KNESCHKII encyclopaedicis,

b. HEINROTHII anthropologicis et psychologicis, SCHWAEGRICHENI botanicis, zoologicis, et mineralogicis, KUEHNII, ERDMANNI et LEHMANNI chemicis, FECHNERI physicis, WEBERI anatomicis et physiologicis interfui. De eadem anatomia audivi etiam BOCKIUM. In arte cadavera secandi WEBEROS frutres magistros habui; de anatomia comparata ASSMANNUM audivi. Postea in pathologia ac therapia generali secutus sum LOTZIUM, in speciali CERUTTIUM, in materia medica BRAUNIUM, in chirurgia GUENTHERUM, in arte obstetricia IOERGIUM, in ophthalmia RITTERICHIUM, in anatomia pathologica HASSIUM, in medicina forensi WENDLERUM patrem. Praeterea etiam in universitate literarum Berolinensi de materia medica audivi MITSCHERLICHIUM, de pathologia et therapia speciali SCHOENLEINIUM, de chirurgia IUENCKENIUM, de auscultatione et percussione ROMBERGIUM, de arte medicamentorum praescribendorum CASPERUM. Ita praeparatus, quae Lipsiae florent, instituta clinica frequentavi, medicum internum sub CLARI et WENDLERI patris, chirurgicum sub GUENTHERI auspiciis, policlinicum, tam internum quam externum, CERUTTIO, BRAUNIO, WALThERO et CARO moderatoribus, obstetricium duce IOERGIO. Ad finem vitae academicae patri adiutorem me praebui in curandis aegrotis.

Examen theoreticum superavi die XXIII. m. Mai. a. h. s. XL., practicum vero die XXVI. m. Iun. a. h. s. XLIV.

Satisfecit Ordini nostro ita, ut in tentamine theoretico tertia, in altero vero, quod dicunt rigorosum, secunda censura ornatus, summisque Medicinae honoribus dignus iudicatus esset. Ad quos obtainendos a. d. XI. Mart. h. a. propugnabit dissertationem inauguralem: „*Nonnulla de mortuorum inspectione*,“ moderatore excellentissimo SCHWAEGRICHENIO, Seniore Gravissimo. Quo certamine feliciter finito ego Cancellarii vicarii munere functurus in candidatum, filium dilectissimum, medicinae ac chirurgiae Doctoris iura et ornamenta solemni ritu conferam.

Vos itaque, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES ET FAUTORES GRAVISSIMI, COMMILITONES denique ORNATISSIMI, ut hunc actum Vestra praesentia condecorare velitis omni qua par est observantia rogatos esse cupio.

P. P. Dom. Iudica MDCCXLV.